



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De informi qualitate mentis quæ in malo Christiano est. E

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Christum. Nam ipsum esse Christum dæmones crediderunt, nec tamen in Christum crediderunt.

Quid sit credere in Deum, vel Deo, vel Deum. D

Aliud est enim credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum. Credere Deo est credere vera esse quæ loquitur, quod & mali faciunt, & nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum, est credere quod ipse sit Deus: quod etiam mali faciunt. Credere in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei ad hæerere, & eius membris incorporari. Per hanc fidem iustificatur impius, vt deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari. Ea enim sola bona opera dicenda sunt, quæ sunt per dilectionem Dei. Ipsa enim dilectio, opus fidei dicitur. Fides ergo quam dæmones, & falsi Christiani habent, qualitas mentis est, sed informis, quia sine charitate est. Nam & malos fidem habere, cum tamen charitate careant, Apostolus ostendit dicens. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, &c. Quæ fides etiam donum Dei dici potest, quia & in malis quædam Dei dona sunt.

An illa informis qualitas mentis, quæ in malo Christiano est, fiat virtus cum fit bonus. E

Si vero quæritur, vtrum illa informis qualitas, qua malus Christianus vniuersa credit, quæ bonus Christianus, accedente charitate remaneat & fiat virtus, an ipsa eliminetur, & alia qualitas succedat quæ virtus sit? Vtrumlibet sine periculo dici potest. Mihi tamen videtur, quod illa qualitas, quæ prius erat, remaneat, & accessu charitatis virtus fiat.

Ex quo sensu dicatur vna fides. F

Cumq; diuersis modis dicatur fides, fatendum est tamen vnã esse fidem, vt ait Apostolus. Vnus Dominus, vna fides. Siue n. fides accipiat pro eo quod creditur, siue pro eo quo creditur, recte dicitur fides vna. Si n. pro eo quod creditur, accipiat, ex hac

Iacob. 2. &

Ipsæ arguunt mundum.

Ioan. 16.

Aug. ser. 181.

de tempore

ad princip.

et c. 37. lib.

de cognitione

vera vite et

tract. 39 ad

illud. Si quis

voluerit.

I. an 7.

Et ad ver-

sum 11.

Psal. 77.

Hunc genus

ratio quæ

non, tom. 8.

I. Cor. 1. &